

infans, ut facile colligi potest, obiit. Nonnunquam *exomphalus aqueus* s. *hydromphalus*, vix tamen aliter, quam praesente omphalocele intestinali et ascitide, oritur. Mollis et pellucidus est, fluctuatio in eo percipitur, et reponi non potest. Si ascites curatur, quod in infantibus raro succedit, sponte quoque evanescit. Ascites igitur internis remediis, vel, si fieri aliter nequit, paracentesi tollatur, quae tamen in infantibus tenerioribus vix unquam locum habebit.

Nec alienum fore puto, alius hic morbi meminisse, qui aliquot post partum dies pueros infestat, cujus mentio apud nullum, quod ego sciam, scriptorem occurrit. Si enim nonnunquam tertio quartove post partum die inquieti fiunt, febreque agitantur: simul vero tumor durior ab osse pubis ad umbilicum usque percipitur, qui, si tangitur, infantes maximo dolore afficit, et non adeo profunde sub cute haeret. Plerique hoc malo affecti perierunt; sed, cum medicis, ex quorum observatione hoc teneo, nondum contigerit, sectione facta, mali naturam detegere, plura et certiora hac de re exponere nequeo. Ad tumores interim inflammatorios pertinet, et in musculis abdominalibus, ac peritoneo residere videtur. Durities, quae saepius in longitudinem protracta, funiculorum forma sentitur, inflammationem fortasse, ex obstructis arteriis umbilicalibus oriundam, prodit: qua in re culpam in neglectam expressionem sanguinis in ligatura funiculi conjicerem, qui non raro perversè versus abdomen reprimitur *f*). Eos, qui hoc morbo affecti non perierunt, clysmata, fomenta ex emollientibus, et emplastra similia per noctem applicata, servarunt.

§. 12.

*Herniae inguinales et scrotales congenitae.*

Vitiis funiculi paullo rariores sunt herniae *inguinales* et *scrotales*, quae vel statim a nativitate adsunt, vel brevi post partum accedunt.

*f*) vid. §. 1. not. b.